SPECIMEN INAUGURALE
PHILOSOPHICO MEDICUM

SISTENS QUÆDAM DE ORTU PRÆSTANTIA ET UTILITATE

ARTIS MEDICÆ,

ATQUE DE DIAGNOSIS MORBORUM DIFFICULTATE PRACTICE CONSIDERATA,

QUAM FAVENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

Johannis Caroli Friderici Hauff,

ORD. MATH. ET PHYSICORUM PROF. ORD.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATÛS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICE ET CORAM SENATU ACADEMICO DEFENDIT

ENGELBERTUS VAN BRUSSEL,

EX BASSEVELDE,

Die 24 Februari MDCCCXXVII, horâ Xâ. in Aulâ Academicâ.

GANDAVI, apud MAX. ANT. MAHNE, Bibliopolam.

1827.

Ex præscripto art. 56 legis Acad. opiniones in Dissertationibus propositæ illarum auctoribus propriæ, et a Facultate nec approbatæ, nec improbatæ, sunt habendæ.

PARENTIBUS OPTIMIS,

FRATRIBUS, SORORIQUE CARISSIMIS,

SACRUM.

Homines ad deos nulla se prorsus accedunt,
quam salutem hominibus dando.

CICERO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

PHILOSOPHICO-MEDICA.

Quam tibi offero, benevole lector, dissertationem inauguralem, ut legibus academicis satisfaciens medecinæ doctoris titulum honorificum legitime obtinere possim, eam ita enatam esse scias; ex quo enim tempore, studiis philosophicis relictis, ad ipsum artis et scientiæ salutaris templum pedem propius admovere incepi, semper mihi arrisit materia, quam jam tractare pro viribus conabor; quod idcirco attentione mea dignissimum fuit, quoniam experientiæ et observationum defectus atque manca eruditio me impediunt quominus de uno aliove argumento practico disserere valeam: adde quod morborum frequentissime grassantium historiæ tum a recentioribus, cum a veteribus medicis tam sæpe ad nauseam repetitæ sint, ut juniori medico nihil faciendum supersit, nisi descriptas serviliter exscribere; nec quidquam novi inventis addere potest, quum facta quibus ratiocinium medicum superstruendum est, ipsi sæpe deficiant, vel observata novis observatis ulterius confirmare nequeat; porro cuivis medenti felix non datur opportunitas magnum ægrotantium numerum sedulo et variis temporibus invisendi: his rationibus ductus. 1° De origine medicinæ usque ad Hippocratis tempora, 2° ejus utilitate et dignitate, 3° de difficultate diagnosis morborum in praxi medica agetur.

Vocabulum *medicina*, a verbo *medicari*, græce ἰατρεύειν, a nobis merito derivatur; sensu tamen generaliore artem morbos tractandi hodie dicimus, quandoquidem affectiones morbidæ incurabiles et curabiles medicorum curæ committuntur, qui, si non semper ægrotationes quasvis tollere valeant, miseri ægri incommoda e præsenti morbo oriunda, quantum fieri potest juxta artis regulas lenire solent.

Artis medicæ incunabula, etsi vetustate et inprimis præstantia inter omnes disciplinas infimum locum ipsa non teneat, multorum temporum caligine oppressa jacent; ut complures aliæ scientiæ naturales propter vulgi ignorantiam et commune bonum, quod ea scientia mortalibus præstitit, tanquam divina cœlitusque missa habita fuit, quod imprimis testantur Ciceronis verba: *deorum immortalium inventioni consecrata est ars medica.*

Ovidius, Appollinem ita de se loquentem *introduxit,* inventum medicinæ meum est opiterque per orbem dicor, et herbarum subjecta potentia nobis.

Quidquid sit atque licet ortus medicinæ miris fabulis a veri imagine parum recedentibus involutus lateat, non obstat tamen, dum rem paululum attentius consideramus, et in hominum fabricam complexam, sensibilitatem causasque morborum multiplices et generales, quas nemo mortalium effugere potest, inquirimus, quominus ex analogiâ persuadeamur ægrotationes hominibus fuisse coævas, et medicinam ex iisdem originem duxisse antiquissimam: confirmant etiam hoc assertum itinera in regiones novi mundi desertas et incognitas a recentioribus itineratoribus facta; populi enim non pauci vitam agrestem at vagabundam victus quærendi scopo ducentes, jam contra varios morbos medicamenta a se delecta et præparata adhibent non sine fructu; unde facile patet, mortales a prima mundi origine consortio inter se devinctos, in arte salutifera invenienda et perficienda, nuda experientia et necessitate ductos occupatos fuisse (1).

Complures igitur rationes mortales impulerunt, ut prima artis tam utilis fundamenta ponerent, scilicet 1° motus instinctivus, quo omnia corpora viva ad sui conservationem feruntur, 2° casus fortuiti, 3° imi-

(1) V. Levaillant premier et second voyage dans l'intérieur de l'Afrique. 8°.
Descourtilz, voyage d'un naturaliste. Paris. 1809. 3 vol. 8°.
Tusc. quæst. Lib. III.

tatio illorum, quæ natura in homine ægroto, aut animali quovis efficit, 4° experientia, 5° observatio, 6° ratiocinium et 7° denique commiseratio mortali cuivis bono innata proximo suo patienti solamen conanti afferre (1).

Cuncta corpora viva et præsertim homo, ut animal præstantissimum, pollent hâc facultate ab organismo, structura et vitalitate pendente causarum œconomiam animalem perturbare continuo nitentium vim vel prorsus impediendi vel effectus obortos tollendi: hæc facultas in statu sanitatis *conservatrix*, in morbis *medicatrix* dicitur, et ejus existentiam in utroque casu probant experimenta a (2) Spallanzano instituta, nec non observata in ægris facta (3), quibus hæmorrhagia, et sudores copiosi, alvus frequens, copiosa urinæ vel salivæ excretio morbum solvit, et in quos motus salutares nec voluntas humana ullum imperium habet, nec eos mens nostra impedire, nec ars evitare valet: monstrant porro vulnerum coalitus fracturarumque glutinatio solis natura viribus peracta: hæc omnia naturæ autocraticæ molimina in animantibus ratione carentibus ac in homine fiunt; unde clarum est infusam a summo creatore machinæ nostræ vim talem esse, ut hæc integritatem suam tueri non modo, verum etiam morbos depellere non raro queat.

Denique quis medicorum ægrotos invisentium non observavit appetitus spontaneos in acutis frequenter oriundos, quibus morbo detenti impelluntur ad rem aliquam tanto desiderio appetendam, ut hanc præ omnibus aliis velint etsi medenti noxia videatur, dum hacce tamen via ad sanitatem ducuntur.

Casus fortuitus condendæ arti salutiferæ utilis etiam fuit, nam infantiâ medicinæ mortales ad singula fausta vel infausta obvia attendere cogebantur; eo magis quod observationum defectus et cadaverum sectiones rarissimæ morbos omnes a priori cognoscere et dignoscere vetarent, nec medicamentorum vires cognoscerentur; ita epilepsia pertinax curata legitur

---

(1) Murray apparatus medicaminum. Vol. 1. pag. 835.
(2) Spallanzani, précis d'un ouvrage sur les réproductions animales. Génève, 1768. 8°.
(3) Gregory conspectus medicinæ theoreticæ Lond., 1788. vol. 1. pag. 37.

per vulnus igne capiti inflictum (1) paracentesim medicis indicavit ruptura musculi recti abd. et inde ascitidis curatio; dum empyematis operatio facta fuit, postquam suppurato pulmone materies purulenta, parietibus thoracis erosis, foras per aperturam absorptione natam effluebat. Casus fortuitus medentibus etiam monstravit morbos quosdam incurabiles, paralysin nempe, maniam, melancholiam, vehementi mentis commotione subito orta, interdum curatos, et similiter in casibus obviis tentari posse. Sic quoque febre affectus americanus sitis sedandæ causâ (2) accurrit ad stagnum in quod arbores aliquot cinchonæ inciderant et aquam epotans ut ut amaram a febre liberatur. Simili modo vomitoriorum atque purgantium usus, natura evacuationes sursum vel deorsum excitante, tentatus fuit. Complura volumina conscribi facile possent a practicis, si omnia, quæ ad medicinam condendam casus fortuitus contulit, in medium proferrentur.

Non raro ipsam naturam imitatur medens, dum ipsa duce morbi quidam cito et jucunde solvuntur. Probabilissimum est venæ sectionem generalem aut localem (3) antiquitati jam notam originem suam duxisse ab hæmorrhagiis sponte vel casu natis, quia sub largo sanguinis profluvio assistentibus terrorem incutiente ægri e faucibus orci eripiebantur; hisce addi possunt cæci quorumdam brutorum instinctus a medicis observati. Ita legitur Melampum hellebori virtutem a capris didicisse. Canis alvi ducendæ scopo gramen vorat, vel cruditatibus acidis laborans calcem de parietibus decerpit, vel cretam albam ubivis obviam avide deglutit, etc.

Immensa sunt beneficia, quæ ars medica ab experientia accepit, virtutes enim medicamentorum alio modo certe innotescere non potuerunt, inprimis artis salutiferæ infantiis, dum primi mortales litterarum rudes a simplici observatione effectuum post adhibitum quoddam remedium ortorum nitebantur; illa sine dubio vera basis omnis praxis medicæ est, quamvis sola ad bonum formandum medicum certe non sufficiat; interea

(1) Curtii Sprengelii institut. med. vol. 1. Willis pathol. cerebri C. III.

(2) Geoffroi, traité de la matière médicale, tom. 2. pag. 78.

(3) Le Clerc, histoire de la médecine.

temporis fateri oportet tentamina varia, quæ initio capta fuere, sive faustum sive infaustum exitum ea haberent, tamen arti condendæ non spernenda jecisse fundamenta, quia e pluribus casibus selectus facilior erat, atque ita experimentis sæpius repetitis medicaminum vis in ægrotationibus compluribus magis magisque confirmabatur; adde quod primi mortales in medicina condenda occupati non melius ac nos substantiarum vegetabilium vires prædivinantes, experiendo dumtaxat eas detegere possent; curiositas et assiduitas veterum in plantarum collectione et præparatione inprimis patet ex his, quæ Hippocratis habet (1) in lib. ὥερι ἑλλεβορισμου. Tali igitur modo gerere se debuerunt primi medicinæ fundatores sola experientia ducti, quia primis hujus artis incunabilis compluribus cognitionibus anatomicis atque physiologicis orbati medicaminum adhibitorum actionem non intelligebant non modo, sed et minime explicare poterant; inter eosdem inventores primus eminuit Serapius Alexandriuus, qui, sicut ejus sectatores *Empyrici* vocabantur; nec spernenda nobis reliquerunt præcepta cum eorumdem tentamina arti maxime profuerint; quare notante Zimmermanno (2) illorum temporum veri medici haberi merebantur, neque confundi possunt cum stupidis illis empyricis qui posterioribus sæculis medicinæ progressui tanta intulere impedimenta. Ita prægressa experientia didicere medici quid sub datis conditionibus noxium, quid salubre esset dum ex industria substantiæ alicujus in C. H. ægrotum vis et actio tentatæ notabantur. *Utinam*, ait (3) Murray, *hisce solis fulcris materiæ medicæ scientia esset superstructa, quod si esset, cum mathesi ipsa certitudine dimicaret;* quorum verborum veritas unicuique artis nostræ præceptis etiam leviter imbuto facile patet. Non minus eleganter hanc confirmat Quintilianus « (4) illud admonere satis,
» omnia quæ ars consummavit a natura initia duxisse, aut tollatur me-
» dicinæ quæ ex observatione salubrium atque his contrariorum reperta
» est atque ut quibusdam placet tota constat experimentis; namque

---

(1) Vid. Op. Hipp. Vanderlinden tom. 1. p. 610.
(2) Traité de l'expérience, vol. 1. pag. 51.
(3) Opus citat.
(4) Institut. ætat. lib. II. cap. 17.

» vulnus deligavit aliquis antequam hæc ars esset, et febrim quiete et » abstinentia, non quia rationem viderat, sed quia id valetudo ipsa » coëgerat, mitigavit."

Non minus firmum medicinæ fundamentum præbuit observatio, ad quam rite faciendam tactus peculiaris, ut animadvertit Zimmerman (1), requiritur; interea temporis docet nos historia, illis temporibus morbi alicujus, remedii et successus in columnis parietibus tabulisque templorum descriptionem satis claram et exactam inveniri; expositionem ægrorum in focis viisque urbium publicis apud antiquissimos Assyrios et Ægyptios fuisse usitatam; Epidauri fanum exstitisse Æsculapio sacrum testantibus Livio et Valerio Maximo (2), ægrorum expositione, curatione morborum et oraculis celeberrimum; sic quoque Apollini Hygiæno et Panaceo exstructa sunt, eo magis quod sacerdotes gloriæ et opum avidi omnium ægrotationum ortum Deorum vel Dearum iræ adscriberent, atque sic, notante Curtio Springelio (4) reconciliatores Deos inter iratos et ægrum esse sese jactantes profano vulgo imponerent. « *Les prêtres donc furent les seuls médecins de l'Egypte, et entre leurs mains, l'art de guérir n'était autre chose qu'un culte absurde rendu aux diverses divinités du pays. Ils déguisaient les médicamens dont ils faisaient usage, à l'aide d'un langage allégorique, et la médecine passait pour un secret dont les dieux ne devoilaient la connaissance qu'à leurs favoris.*" Ex hac tam spernenda astutia aliquid boni tamen in artem medicam redundasse fatendum est; cum enim observata accurate tabulis inscripta servarentur, et sacerdotes isti præ reliquis omnibus rerum cognitione eminerent, factum est ut tandem aliquando complura præcepta practica innotuerint, quæ forsan diu latuissent; nec dubium nobis superesse videtur, quin scientiæ medicæ observata primordialia temporum successu ad illos pervenerint viros, qui in amplificanda medicina ætatem deinde

---

(1) Opus citat. vol. 1. pag 175.

(2) Livius epist. lib. IX.

(3) Lib. 1. cap. 8.

(4) Histoire de la médecine, depuis son origine jusqu'au XIX siècle, et trad. de l'allemand par Jourdan. Paris, 1815. vol. 1. p. 20.

consumpsere. Ubi enim mortales dulces ex artis nostræ exercitio fructus perceperant, prompto et alacri animo ejusdem cultui se dederunt, numeroque cultorum indies magis magisque aucto, observatorum et remediorum numerus simul etiam increvit; quo factum est, ut medicinæ studium ex multitudine ad paucos viros reliquis excellentiores transiverit medendi arti ex professo vacantes, qui omnia antea visa, observata fausta, infaustaque sedulo et indefesso labore colligere, quin imo suis auxere additamentis. Nec veteres medici licet disciplinis istis ambitum artis medicæ amplectentibus privati in observando assiduitate atque accurratione tenentur cedere fascesque submittere recentioribus tot tantisque scientiarum naturalium auxiliis munitis, utilia in illorum operibus contenta sua non raro facientibus, et simul eorumdem auctorum nomina silentio prætereuntibus, atque doctrinam aspernari vel acriter carpere nata quavis opportunitate cupientibus. At jam audio objicientem aliquem medicum, casus istos singulares, istaque observata artis salutiferæ fundamentis jaciendis parum profuisse; quid enim illi præstare possunt, nonne morbi omnes sunt individui? At facile ruit hæc objectio modo pensitemus tum præcepta medica certitudinis physicæ gradum aliquem obtinere, cum innumeris factis et observatis innitantur; morbos omnes in se perspectos ratione individui sine dubio modificari, at eorumdem indolem eamdem esse et symptomatibus plerumque constantibus se manifestare; hoc assertum præteritorum sæculorum observatio probat, etsi negari nequeat quod quasdam hinc inde exceptiones hæc regula patiatur.

Dum observatorum et experimentorum numerus eo increverat, ut jam canones quædam practicæ tamquam consequentiæ ex illis recte possent deduci, ratiocinio usi sunt medici, ut artem salutiferam ulterius amplificare non modo, sed et etiam perficere valerent; nam ex observationis fonte sensim sensimque causarum, effectuum et indolis morborum intellectus profluxit, quem hactenus acquirere frustra erant conati; in hunc finem caute et prudenter adhibeas analogiam magnus Hippocrates, Cous, vir arte et facundia insignis, atque tanquam medicinæ dogmaticæ fundator apud omnes gentes celebratus: hujus doctrinæ exemplar successoribus imitatione dignum præbuit; qui enim opera hujus tanti

viri (1) attente perlegerit, facile persuadebitur, quanta cum prudentia et quantis cum præcautionibus divus senex analogiæ auxiliis sit usus ad doctrinam suam condendam. Exemplo nepotibus suis monstrans vanas hypotheses, opinionum commenta solas imaginationis vel præjudicati animi soboles caute vitanda esse, ne in funestissimos errores medicus inducatur; porro etsi auxilium philosophiæ in medicina non raro mutuatur, non obstat tamen quominus inter utramque scientiam certos limites posuerit, quos transgredi medico licitum non est, qui in morbis dijudicandis eo facilius potest errare, quo minus caute analogiam vel inductionem adhibeat.

Interea temporis labore indefesso conatibusque tanti viri medicina ad scientiæ dignitatem evecta non modo est, sed et etiam magnos progressus fecit; nam inventa positaque observandi methodo, facile erat successoribus in eadem via pergere et inventis addere, quandoquidem omnia divi Senis præcepta sapiente observatione ex ipsa natura hausta nitebantur. Nec in medicina dogmatica fundenda solum occupatus fuit Hippocrates, verum omnibus discipulis ipsum audientibus palam fecit, atque in pluribus locis (2) operum suorum utilissima consilia dat circa ea, quæ ad medicum ipsum spectant, atque adversariorum argumenta artem salutiferam spernentium luculenter refutat; cæterum artem nostram nobilem profitentes omnes adhortatur, ut scientia, morum pietate et gravitate, decenti corporis habitu, humanitate, castitate, et summa circumspectione civium suorum fide dignos se præstent.

Est et homini cuivis bono atque honesto innatus quidam misericordiæ motus e tristi alicujus patientis spectaculo, vel mærore sociæ calamitatis ortus ipsum undique excitans, ad proximi sui incommoda vel pellendum vel saltem levandum. Hic humanitatis sensus tam laudabilis candidam cujusvis mortalis animam fulminis adinstar percellit, atque miserationem

---

(1) Hippocratis opera omnia gr. et latinè ed. Vanderlinden. L. B. 1665. 2 vol. in-8.
Vid. lib. IV. de morbis tom. II.
Aphorism. tom. I. item epidemiar. lib. VIII.

(2) Vid. opus citat. de veteri medicina præceptiones. Lib. de art., de Vict. ratione, Lib. de Medico et glandul.

commovet præter voluntatem et arbitrium ejus, quotiescumque miserum morbo gravi detentum, et cum morte ipsa quasi colluctantem intuetur; hinc testibus Strabone et Herodoto (1) apud Assyrios et Babylonios antiqussimus mos verosimiliter invaluit ægrotos in triniis, focis et viis publicis exponendi, eo scopo ut a prætereuntibus exquireretur an morbo id genus curando apta norint remedia; quin imo apud Babylonios lege sapientissima cautum erat, ne quis ægrotos sine percontatione præteriret, aut sine dicto, si quod cognovisset, remedio; at profecto ad opera veterum scriptorum confugere, ut asserti hujus veritas ulterius demonstretur, necesse non est; temporibus nostris innumera facta prostant, et numerus eorumdem quotidie magis magisque increscit apud omnes populos humanitate politos, felices effectus e commiserationis sensu laudabili erga proximum nostrum ægrotationibus et miseriis oppressum oriundos testantia; et tu quoque Patria mea, quæ terra humanitatis, hospitalitatis et reliquarum virtutum beata sedes salutari jure merito mereris, quibusvis etiam aliis Orbis regionibus hâc in re inferiorem te præstitisti nunquam! Liceat mihi te secundum facta et virtutes tuas collaudanti hoc leve grati et superbientis animi munus offerre!

Attamen ut ad objectum nostrum redeamus, prædictis attente perpensis, fateri necesse est ex hac publica, ut ita dicam, commiseratione non spernenda emolumenta in homines humano consortio devinctos miseriis morbisque multifariis afflictos redundasse; prætereuntes enim misericordia ducti ægrotum quemvis obvium percontati, quæ ab aliis didicerant medicamenta, in casu fere simili declarabant, atque ita ad artis salutiferæ ortum non modo, sed ad amplificationem se insciis conspirabant eo magis, quod, ut supra monitum fuit, observata fausta vel infausta tabulis votivis postea inscriberentur, atque temporum progressu magnus observationum utilissimarum thesaurus tali modo collectus sit.

Absoluta igitur prima hujus dissertationis parte, ad secundam transeundum est, ubi de præstantia et utilitate artis medicæ tractabitur: præstantia medicinæ inde patet, dum ad objectum ejus, quod homo est,

---

(1) Herodoti histor. lib. I. et III. Strab. C. III. p. 16.

attentionem nostram convertimus; hominis in hoc terrarum orbe morantis duplex contemplatio, respectu compositionis physicæ vel materialis, et principii immaterialis sive animæ, attentionem philosophorum semper meruit; ratione habita constitutionis ejus physicæ, ni formarum elegantiam, mirabilem partium corporis dispositionem atque aptum situm excipias, ad mammalia quadrupeda, simias v. g. pro reliquis summopere accedit, a quibus tamen capitis situ verticali, incessu erecto, atque perfectissima manuum structura non parum differt. At quanto ratione vis intelligendi intervallo ab iisdem distat! Frustra insudarunt huc usque zootomiæ peritissimi viri, ut certam gradationem ratione vis intelligendi a cerebri ejusque appendicum massa, forma volumine pondere et intima fabrica petitam, ut, inquam, certam gradationem ab humano genere ad proxime succedentia quadrupedum genera invenirent; at luce clarius compertum habuere ejusmodi gradationem, respectu ad intellectum habito, non solum non existere, sed nullam de istis comparationem incidere posse. Et tamen ratione intellectus, quo homo pollet, reliquis omnibus animantibus longe præstat, etsi vigore et instinctu iisdem sit inferior; nam dominatur in feras vi rationis suæ, belluas sub potestatem suam redigit, quæ, ut elephas et camelus, ad genua ejus se projiciunt, nec in locis diu morari possunt, ubi homo cubilia sua posuit; non solum monstra terrestria et aquatica tributum ipsi conferunt, sed et etiam insecta, quin et imo imperfectissima animalia, ut polypi: porro res omnes creatæ vita orbatæ ipsi famulantur, adeo ut si consideremus relationes, quas cum natura organica et inorganica ipse habet, jure merito æstimari potest tanquam omnium rerum hunc mundum componentium centrum, versus quod, propter ingenium et intellectûs vim cuncta tendere videntur, ipsumque catenæ creatorum intimæ primum annulum formare, cujus interventu omnia corpora hujus universi inter se conjuncta existunt; ex hac igitur naturæ humanæ excellentia necessario fluit præstantia artis medicæ, quæ in homine, ut objecto suo tota occupata mundi universi leges amplectitur, atque in ejus commoda nec non felicitatem adhibet; unde medicinæ utilitas facile quoque demonstratur, sicuti e sequentibus luce clarius constat.

Si quis animo a præjudicata opinione alieno objectum et scopum medicinæ attente contemplatur, de hujus scientiæ artisque utilitate vix dubitare licet. Non solum labefactatam sanitatem restituere ars salutifera nostra, sed et integram tueri conatur; duplici huic scopo intenta hominis conservationi cunctis vitæ stadiis invigilat; nam futurus homo grani molem vix attingit, et jam utero gerenti omnia præcepta commendat hygiena, quibus humani ovi incrementum et evolutio formæ optime promoventur; transacto novimestri spatio, fœtuque maturo excluso, aliæ præscribuntur regulæ, quibus tenellum corpus ab omnium causarum externarum vi et actione defendi possit, ejusque incrementum ad pubertatem usque feliciter perducatur: quantus is efficientium noxiarum numerus sit, facile intelligit, qui pathologiæ generalis præcepta labiis, ut ita dicam, attigerit. Succedentibus juventute et virilitate, novas causas, nempe animi pathemata varia compescere et moderari docet, atque ita tristes eorumdem effectus præcavere: approquinquante senectute, sicuti ineunte infantia, hygienæ auxilia iterum invocantur, ut labantes effæti corporis vires sustineri queant, et homo placide ducatur ad tumulum.

Existentes morbos variis ætatibus hominis familiares permultos curare docet therapia, quæ non spernendam artis medicæ partem constituit. Innumeri sunt mortales, qui ægrotationibus et præcipue epidemiarum tempore oppressi, e vivorum numero fuissent abrepti, ni artis salutaris progressu eorumdem historiæ melius factæ et sedes certius indicatæ essent. Tollatur usus instrumentorum et apparatuum in certum finem inventorum, sanguinis missionum, corticis peruviani, emeticorum et purgantium, quid fiet de miseris ægris gravi plaga, vel fractura, vel sæviente epidemia inflammatoria, vel regnante febre intermittente pernitiosa afflictis? In quibus omnibus casibus mortales cum morte quasi colluctantes ad meliorem vitam et sanitatem divinæ artis auxilio redire quasi videntur; quod si obtineri nequeat invita natura, tum tristium ægrotantium sortem pro viribus suis lenire conatur medicina; et si levamen afferre nequeat, saltem consolatur afflictum: sed non solum de morbis epidemicis, aut singulæ vitæ stadiis familiaribus hic agitur, ægrotationes enim multifariæ

miseros mortales pro vario vitæ instituto aut arte quam profitentur, manent; hinc morbi opificum, militum, nautarum, artes liberales colentium tam multiplices artis medicæ interventu curati sunt, quibus alioquin homines permulti reipublicæ utilissimi, vel inhabiles evaderent, vel brevi perirent.

Præterea morbos non solummodo curat medicina, verum etiam in ipsa jurisprudentia, nec non salute publica civium occupata nova utilitatis et nobilitatis argumenta prædictis addit. Cum Themide connubium init Æsculapius et interdum auxilio juvat suo; *Medicina forensis* dicta quæstiones physicas in jure civili vel criminali agitatas sæpe dilucidat solvitque, insontem ab imminenti atque injusto supplicio liberat, aut sontem, caligine ab animo judicum depulsa, justa pœna mulctari efficit; cujus asserti veritas tam late patet, ut nullus mortalium artis et scientiæ nostræ præceptis etiam parum imbutus de illo audeat dubitare. Civium saluti publicæ quoque prospicit ars Æsculapii, nec mirum; homines enim consortio humano devincti, vel ratione cœli sub quo vivunt, vel soli in quo commorantur, interdum patiuntur morbos, vel arte quam profitentur victus quærendi causa sibi mutuo nocent; non minus obesse possunt saluti publicæ ædium constructio (1), paludum vicinia, fluminum cursus, aquæ stagnantes, alimenta vel potulenta defectu, vel qualitatibus perversis noxia in foris publicis viliore pretio venalia, etc.; dum igitur cujusvis civitatis firmissimum fundamentum omnium civium valetudo secunda sit, sequitur illos, qui reipublicæ præsunt, ad omnia adhibenda media teneri quibus communes morborum causæ depelluntur, præcaventur; si qui morbi pandemici, epidemici, vel endemici populariter grassantur, quam citissime debellantur; in quem finem artis salutiferæ auxilium summopere necessarium esse, nemo inficiatur, et etiamsi quis negari auderet, facta innumera ab origine fere medicinæ id facile confirmant; neque omittere licet humanum genus non solis causis communibus ægrotationum supra indictis obnoxium vivere, sed datur et alia notatu digna maximam

(1) J. P. Frank, geneeskundige staats-regering uit het hoogduitsch door H. A. Baker. Leyd. 8°. Foderé, médecine légale et hygiène publique. Paris. 1813. 8°.

partem mortalium aggrediens, et centum, ut ita dicam, ægritudinum diversarum mater, scilicet egestas vel res augustæ domi; quibus enim opes tenues sunt, necessitatum vitæ defectu facile ægrotant, et moriuntur nisi eorumdem conservationi et sanationi prospiciat medicina politica, quæ laudabilem suum scopum attingit nosocomiis atque hospitiis juxta præcepta ab eâdem proposita exstructis atque institutis, ubi miseri a præsentibus, fieri si possit, non modo liberantur morbis, sed et etiam dum mortifere ægrotant, eorumdem incommoda lentam mortem producentia mitiora redduntur; an non artis nostræ interventu carceres sontes et accusatos continentes in melius mutati sunt, et inclusorum conditio respectu sanitatis publicæ melior facta? Plura quidem addere possem, at vero tam clare patet veritas, ut longius expatiari sit inutile.

Ad tertiam denique dissertationis nostræ partem accedimus, ubi de diagnosis morborum difficultate agitur; audit diagnosis pars illa medicinæ theoreticæ, quæ de signis morbos similes a se invicem distinguentibus non modo, sed cum aliis eosdem confundi non sinentibus speciatim tractat. Hæc disciplina omnis ævi practicorum attentionem meruit, eo magis quod ratione diversæ naturæ morbi remediorum delectus differat; interea temporis distinguere oportet signa a symptomatibus morbi cujusvis, cum hæc semper adsint, illa vero interdum frustra detegere conetur medicus, qui idcirco non raro cespitat, dum ad ægri lectum accedit; juxta mentem nostram credimus factis et observatis recentiorum medicorum innixi signa diagnostica ægrotationis cujusvis vocanda esse talia, quæ sedem morbi vel organum affectum clarissime indicant, et naturam illius probe patifaciunt; hoc etsi theoretice perspectum facile intelligatur, practice consideratum tamen difficultatibus plenum est, inprimis junioribus medicis, qui oculum et tactum medicum, ut ita dicam, nondum adepti sunt; nec est cur miremur, dum videmus viros longæva experientia consummatos hinc atque illinc ante ægrotorum lectos hæsitantes, et quo se vertant nescientes, quorumque institutam medelam cadaverum lustrationes interdum improbant. Audiamus igitur illust. Zimmerman (1) verba « *Les*

(1) Op. citat. vol. 1. pag. 335.

vrais médecins sont souvent embarrassés dans l'examen des maladies, parceque les caractères sont si compliqués qu'il est impossible de les deméler en peu de tems. L'œil du génie apperçoit quelques fausses lueurs à l'aide du flambeau de l'expérience, mais la prudence arréte un homme reservé et l'oblige de revenir plutôt dix fois chez un malade pour n'y rien faire, que de rien faire trop vite en ne voyant pas assez; un médecin, qui apperçoit tous les signes d'une maladie donnée, croit voir cette maladie; il est même à certain point autorisé à le croire, il se peut cependant que cette maladie n'existe pas, parcequ'il est des signes communs à plusieurs maladies : on ne doit donc pas dire que l'on voit, etc." Hoc quidem eo magis veritati consentaneum est quod gravissimæ, quin imo lethales affectiones C. H. V. existere possint nullis fere signis se manifestantes, adeo ut homo tantum indispositus esse videatur, medicique auxilium non nisi paucis ante mortem horis invocet; sic supra commemoratus auctor (1) varios casus hoc dictum facile confirmantes habet; refert enim virum robustum juvenemque post acceptum vehementem in capite ictum per novemdecim dies vixisse sine ullius funesti signi manifestatione, ipsiusque fato defuncti cerebellum putrefactum et fœtens fuisse repertum. Alius vir ictum gravem in temporibus accipit, queritur de leviore capitis dolore, at cæterum bene sese habet, duabus ante mortem horis chirurgi præsidium frustro implorat, et partis læsæ sectio demonstravit portionem squamosam ossis temporum fissam esse, sub fissura latere portionem sanguinis coagulati quatuor pollices longam et unum crassam, quæ lethalem cerebri compressionem induxerat. Georgii II. Regis Angliæ secto cadavere, arcus aortæ anevrysmate affectus et ulceratus invenitur, post cujus rupturam mors derepente succedit, et tamen nulla tanti morbi vestigia tempore vitæ manifestaverat illustris æger. Ecquis medicorum ignorat facta a celeb. Boerhaavio nostro observata? Casuum illorum infelicium historias, quas hìc brevitatis causa prætergrediar suppeditaverant J. Baro a Wassenaar et Marchio a St. Auban. Nempe

(1) Op. citat. vol. 1. pag. 338. et sequentib.

prior a ruptura œsophagi prope cardiam, posterior vera a steatomate cavum utrumque pectoris replente 6 ¾ ℔ referente pondus periit. Fatetur egregius vir se in utroque casu nec causam, nec indolem, nec sedem morbi e symptomatibus dignoscere potuisse; sic quoque sedem ægrotationis, cui succubuit celeb. Mirabeau, ante mortem ignoravit doctiss. Cabanis, (1) pericarditis nulla signa diagnostica, cum æger viveret, inquam, se manifestaverant. Verum enimvero ista diagnoseos morborum difficultas non in quibusdam factis hinc inde in practicorum operibus obviis repetitis, sed in ipsis auctorum optimæ notæ nosographiis occurrit; nam si rem paululum attentius consideremus, fateri oportet nullum huc usque signum diagnosticum observatum esse, cujus ope morbi varii cordis a se invicem probe internoscuntur; eadem redit obscuritas respectu habito ad hydrothoracem et hydropericardium, etsi medici omni laude digni nempe (2) Avenbrugger et Laennec (3) novas vias straverint novaque excogitaverint adminicula; sedes ægritudinum cerebrum ejusque involucra aggredientium mentisque operationes ita perturbantium plerumque a medico ignoratur idcirco, quia signa diagnostica tempore vitæ desiderantur, et non nisi cadaveris sectione post fatum instituta sub sensus cadit; frustra quæruntur hactenus signa quibus a priori fluor albus a gonorrhæa in feminis causam prægressam celantibus rite distinguitur: non minus difficilem morborum similium interstinctionem reddunt symptomata, quæ ab organorum sympathia nascuntur, quia tunc ob ægrotationis vehementiam, et ut ita dicam mutatam faciem ægre detegi potest, quodnam viscus vel quodnam organum inprimis patiatur: ita delirii causæ nunc in ipso cerebro, nunc in ventriculo, aut in hepate hærentes sæpius efficiunt, ut primaria mali sedis dubia maneat, et oculatissimus medicus in maximo versetur dubio, nec sciat quo sese vertat. Porro maxime ardua evadit in organum quoddam ægrotum inquisitio, dum medens accersitur apud

---

(1) Du dégré de certitude de la médecine. Paris, 1803. 8°.
Journal de Luchataire de Migrath Mirabeau.

(2) Avenbrugger, nouvelle méthode pour reconnaitre les maladies de la poitrine par la percussion de cette cavité, trad. par J. N. Corvisart. Paris, 1808. 8°.

(3) Laennec, de l'auscultation médiate. Paris, 8°.

ægrum, qui ratione junioris ætatis quid percipiat recte indicare non novit, et assistentes candide non enarrant, quid factum fuerit vel infectum; vel dum ipse mentis impos subito factus casu, ictu, aliove modo, morbo adeo oppressus jacet, ut plurium partium functiones simul graviter læsæ inveniantur; quanta sit in ejusmodi casibus sedem et indolem ægritudinis detegendi difficultas omnibus practicis abunde notum est.

At forsitan quis objicict diagnosis instituendæ difficultatem dumtaxat versari circa ægrotationes viscera cavis splanchnicis inclusa occupantes, et eas, quibus manu medentur artis salutiferæ periti, a se invicem facilius dignosci non modo, verumetiam earumdem sedem certius citiusque inveniri; hoc verum pro aliquibus, sed quam falsum sit pro aliis casibus facile patet cuique morborum non paucorum, qui ad disciplinam chirurgicam pertinent, signa obscura secum consideranti; nam non cito videmus in hodierno theoriæ chirurgicæ statu quomodo sedes fracturarum basin cranii occupantium criteriis suis detegi queat, quomodo locus faciei externæ cranii definiri possit, ubi contrafissura vel contrafractura lateat; ita quoque prorsus deficiunt nobis notæ pathognomicæ, quarum ope morbi auditûs organa afficientes a se invicem distinguuntur, et diversa eorumdem sedes indicatur; perinde est de calculo vesicæ urinariæ saccato; in quibus omnibus casibus errorem ægre vitare potest medicus, et prudenter se gerit, dum judicium suum circa sedem et indolem ægritudinis servat, donec meliora et certiora sit doctus.

Inter omnia morborum signa, quibus utimur ad tollendum dubium, quod circa ambo capita supra commemorata interdum oboritur, non infimum locum tenent sic dicta *anamnestica sive commemorativa;* nam in ægrotationibus diurnis, quarum symptomata initio obvia progressu temporis jam fere evanuerunt, illorum cognitio utilissima est ad indolem abstrusiorem earum melius intelligendam atque detegendam, et si unius vel alius vestigia quædam supersint, tum facilius distinguit medicus morbum præsentem ut sese exhibet, (1) et utrum nova efficientia accesserit, sin minus; attamen in libris artis, ubi historiæ morborum traduntur,

---

(1) Vid. Van Coetsem, Med. theoretic. Conspect. Gand., 1825. in-8. pag. 43.

non raro desunt signa commemorativa, quorum defectu natura causæ sæpe latet; ita nobis accidit interdum, ut ægri morbo chronico uno aliove detenti nosocomium civile intraverint sanitatis restituendæ scopo, et per longum temporis spatium, omnibus convenientibus remediis adhibitis, in summo periculo versarentur, quia medicum veram ægritudinis causam celaverant, et symptomata commemorativa scienter omiserant, quibus deinde indicatis, a morte imminente liberati fuerunt, et pristinam recuperarunt sanitatem.

Idcirco ut morborum diagnosis minus ardua sit, tenemur non modo inquirere in signa præsentis morbi, quem coram habemus, sed et omnia prægressa ab initio sese manifestantia attente colligere, ut ex natura causæ morbus melius innotescat: quare commentationi nostræ inaugurali finem imponimus referendo aurea magni Stollii (1) verba: « Quanta » ingenii vis et promptitudo, ut res vel minimas vel citissime transeuntes, » vel abstrusisissimas apprehendat (medicus), selegat, suosque in usus recondat. Quam subactum, judicium et concoctum, non præceps, non » animi impetu quodam cæco rapi solitum, sed consilio gubernari non » meticulosum in agendo, sed nec leve, nec temerarium: quanta præterea » animi firmitas requiritur, quæ non ex indifferentia quadam aut mentis » innato quodam stupore profisiscitur, sed quam ratio et scientia parit.

(1) Stollii proœmium anni 1777 in Tom. I, 7 commentario Eyerel. in Stollii Aphorism.

TANTUM.

POSITIONES.

I.

Unicam dumtaxat apoplexiam admittimus.

II.

Febres sic dictas typhosas tractandi methodus antiphlogistica cauta manu adhibita, melior nobis videtur, quam methodus excitans.

III.

Inflammatio curatur etiam stimulantibus.

IV.

In locis humidis frigidisque, quæ paludosa vocantur, febres intermittentes et scorbutum et epidemice et endemice grassantia potius a frigore humiditati juncto, quam ab effluvio paludoso derivari possunt.

V.

Modus, quo agunt medicamenta, ignoratur.

VI.

Vagitum intrauterinum locum habere posse, admittimus; ergo pulmonum docimasia hydrostatica majoribus dubiis premitur, quam ut tuto adhiberi possit ad factum physicum criminis infanticidii stabiliendum.


VII.

Pars ea medicinæ, quæ chirurgia vocatur, non sola manu medetur.

VIII.

Non datur nutritio sine secretione.

Vidi et nihil reperi, quod § 56
Legis Academicae adversetur.
J. L. KESTELOOT.
h. t. Facult. Medic. Decanus.



GANDAVI, ex Typographiâ Academicâ, P. F. de Goesin-Verhaeghe.